

in rebus exterioribus, ut etiam objectum injustitia est aliquid iniquale prout scilicet alicui attribuitur plus vel minus quam sibi competit. S. Th. hic Q 59. A. 2. O. Sive injustitia particularis dividitur in eam, quæ opponitur Justitiae distributivæ, & quæ est opposita Justitiae commutativæ secundum diversam inæqualitatis rationem, ut species subalternas.

Explicatur: vel injustitia particularis facit inæqualitatem inter Jus passivum, quod est in distribuente bona communia & Jus activum vel condignitatem, quæ est in particulari Persona ad bona communia, & hæc opponitur Justitiae distributivæ, quæ servat æqualitatem proportionalem inter merita Civium & præmia. Vel injustitia particularis facit inæqualitatem inter Jus activum strictum, quod habet particularis homo ad hanc rem vel in hâc re, v.g. non reddendo mercem, pro quâ acceptum est pretium, furando, detrahendo &c. & opponitur Justitiae commutativæ.

Obj. Non est injustitia, quæ negat aliquid illi, qui dignus est: alias, qui benefactori non exhibet gratitudinem, qui negat pauperi eleemosynam esset injustus; sed injustitia distributiva negat aliquid digno.

R. Benefactori non negatur aliquod communitatis bonum, cuius est Pars, neque pauperi, proinde non agitur nisi contrà moralem virtutum gratitudinis & charitatis honestatem, at vero in distributione bonorum communium negatur dingo, cui, quia communitatis Pars est, illud bonum secundum exigentiam dignitatis est tribuendum, unde verè committitur injustitia.

DISPUTATIO XXVI.

De homicidio.

Hæresis fuit Manichæorum teste S. Aug. lib. I. de Civit. Dei cap. 20. Illicitum esse homini occidere

dere animalia bruta & plantas, quia animas plantatum
& brutorum existimabant esse particulas Dei, ideo-
que in Præcepto Decalogi: *non occides*: putabant pro-
hiberi occisionem brutorum, sed hæc hæresis refutatur
ex lib. Genes. cap. I. v. 29. ubi Dcus dicit; *Ecce de-*
di vobis omnem herbam afferentem semen super ter-
ram, & universaligna, quæ habent in semetipsis se-
mentem generis sui, ut sint vobis in escam. Genes. 9.
v. 3. *Omne, quod movetur & vivit, erit vobis in*
cibum: quasi olera & rentia tradidi vobis omnia: In
novâ lege mandavit Christus occidi Agnum Paschalem
I. ad Cor. 10. v. 25. Apost. inquit: *Omne, quod in*
macello vanit, manducate, nihil interrogantes prop-
ter conscientiam. Notant tamen aliqui, quod ani-
malia bruta morte lentâ perimere ac tormentis afficere,
ultrâ quam exigat simplex eorundem interfœctio, sa-
piat tyrannicum animum, & sit contrà Christianam
lenitatem, licet non sit contrà Justitiam: igitur Præ-
ceptum Decalogi: *Non occides*: intelligendum est de
sola hominis occisione & quidem injustâ, quæ maxi-
mam infert injuriam, cum vita hominis inter bona
temporalia sit bonum excellentissimum & viventi maxi-
mè charum, & consequenter in ablatione vel diminu-
tione ejusdem maxima illi censetur inferri injuria,
quandonam autem occisio hominis sit injusta & quan-
do justa S. Aug l. 1. de Civ. Dei cap. 21. Generalem
hanc tradit exceptionem à generali præcepto: *non occides*,
ut sit intelligendum de omni occisione hominis: *bis*
exceptis, quos vel lex iusta generaliter vel ipse fons
justitiae Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem
vel seipsum vel quemlibet occiderit, homicidii criminis
innectitur.

QUÆSTIO I.

Cuinam licet occidere peccatorem?

DICO. Principibus habentibus publicam authoritatem... Solum licet malefactores occidere, non autem privatis Personis. S. Th. hic Q. 64. A. 3. Q.

Prima Pars: quod liceat malefactores occidere est de fide contrà hæreticos Waldenses &c probatur ex illo Exod 22. v. 18. *Maleficos non patieris vivere.* Ps. 100. v. 8. *In matutino interficiebam ornames Peccatores terra.* In novâ Lege Paulus ait ad Rom. 13. v. 4. de potestate Principis, si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portas. *Dei enim minister est vindicta in iram ei, qui male agit:* Act. 5. Petrus ob mendacium Sacrilegum occidit Ananiam & Saphiram; Ratio S. Th. hic A. 2. est: quia omnis Pars naturaliter est propter totum, unde si saluti totius corporis humani expediens fuerit præcisio alicujus membra putridi vel corruptivi aliorum membrorum, salubriter & laudabiliter illud abscinditur; atqui quilibet homo est Pars corporis Civilis alicujus communitatis; ergo si sit perniciosus communitati & propter sua scelera corruptivus boni communis, salubriter è medio tollitur, ut bonum commune incolume servetur, & alii à similibus criminibus committendis retrahantur & abstinentur. Et hoc non tantum verum est de his, quos Deus specialiter in S. Scripturâ occidi præcepit: ut vult Scotus in 4. Dist. 15. Q. 3. Sed etiam de aliis: alias foret illicitum occidere incendiarios, proditores, reos læse Majestatis contrâ praxin omnium Provinciarum & ipsiusmet Ecclesiæ, quæ in Cap. ad abolendam 9. de hæret. lib. 5. tit. 7. cap. ut officium 11. eod. t. in 6. lib. 5. tit. 2. Jubet hæreticos tradi brachio sacerdoti, utique capitali poenâ mulctandos, & cum lex Mosaica

quan-

quantum ad legalia & judicialia exspiratit per legem Christi , in quâ nullibi poena capitalis assignatur pro aliquo delicto , nullus malefactor occidi posset.

Nec obstat exemplum Christi absolvientis adulteram ; quia per hoc non voluit potestatem Principibus & Reectoribus adimere , ut adulteros poenâ capitidis mulctare non possint , sed voluit ostendere , quod sua Lex nulli poenam sanguinis imponat , sed potius jubet benefacere etiam inimicis ; Judex ergo non solum potest malefactorem interficere , sed ad hoc etiam tenetur ex Justitiâ secundum præscriptum legum , alias enim causa malorum in Republica exurgentium erit ex suâ negligentia & impunitate scelerum , quod verum est , licet Judex manifestissimis signis cognosceret , reum impœnitentem mori , imò etiamsi sciret ex revelatione , certissimè damnandum esse ; alias enim quisque facinorosus se impœnitentem fingere posset , ut poenam capitidis effugeret : non enim vindicta & punitio publica ad emendandum particularem ordinatur , vel ad ejus bonum , qui punitur , sed ad bonum publicum , ut alii terreatur . Cæterum nullus Judex Christianus potest negare mortam confitendi , si reus sit paratus subire supplicium , non obstante quod timeat , eum esse liberandum , nisi reus facte sub spe liberacionis confessionem peteret .

Secunda Pars probatur : ratione S Th. quia ea solum ratione est licitum malefactores interficere , quia id ad bonum communitatis expedire , ut infecta membra præscindantur , & cæteri timore supplicii deterreantur ; atqui hoc pertinet solum ad potestatem publicam ; sicut membrum putridum corporis abscindere ille solum potest , qui administrationem totius corporis habet , vel cui est ejusdem cura commissa .

Obj. I. Moyses adhuc privatus Ægyptum Israelitam injuriantem occidit ; uti etiam milites privati

in

in bello justo milites hostilis exercitus occidere possunt.

R. Vel Moysen revera commississe homicidium vel occidisse invasorem defensionis gratia, vel ex instinctu Dei; milites vero in bello justo sunt ministri Reipublicæ & nomine Reipublicæ vel injurias propulsando, vel eas vindicando hostes occidunt.

Obj. 2. Sæpe datur potestas cuicunque malefactores occidendi ut patet in bannitis, proscriptis Reipublicæ hostibus, publicis latronibus &c. Ergo tunc ad minus licet privatâ authoritate occidere: immo num. 35. v. 21, de occidente homicidæ dicitur: *Cognatus occisi, statim ut invenerit eum, jugulabit.*

R. Eo casu, eum qui occidit proscriptum, licet sit privatus, id facere authoritate publicâ; ad hoc tamen requiruntur sequentes conditiones. 1. Quod servato juris ordine manifestè de criminis sit convictus is, in quem datur talis licentia. 2. Quod aliter apprehendi & puniri nequeat. 3. Quod interim non desinat nocere Reipublicæ: quamvis enim non peccaretur contrà justitiam, si in vindictam criminis ante commissi aliquis ita condemnaretur à Principe, ut quisquis eum interficere posset, id tamen esset contrà charitatem, nisi forte exemplum impunitatis esset Reipublicæ allaturum grave detrimentum; quia scilicet periculum est, ne sic condemnatus absque spatio pœnitentiæ, & ad mortem se præparandi occidatur, de quo tamen publica Justitia debet esse sollicita quantum sine præjudicio Reipublicæ fieri potest. Ex his quoque patet responsio ad allegatum textum: videlicet, quod per Judicem condemnatus reus homicidii extrâ urbes asyli potuerit & debuerit à cognato occisi jugulari, qui in illo casu constituebatur minister publicæ Justitiae, hic autem sensus colligitur tum ex immediate sequentibus tum ex v. 30. *Homicida sub testibus punitur,*

ccidere tur, ad unius testimonium nullus condemnabitur.

Q. 1. An liceat privato occidere Tyrannum?

R. Distinguendo: quod dupliciter possit aliquis esse Tyrannus i. gubernatione: videlicet quando legitimus quidem Princeps est, sed gubernat tyrannicè, omnia per fas & nefas referendo ad propriam utilitatem, & talem occidere privato non licet uti est definitum in Con. Constantiensi quod Sess. 15. damnavit hanc propositionem Joannis Hus. *Quilibet Tyrannus licite potest à quocunque subdito interfici.* Ratio à priori sumitur ex illis S. Petri verbis i. Pet. 2. v. 18. *Servi subditi estote in omni timore Dominis nontantum bonis & honestis sed etiam dyscolis;* etenim legitimus Princeps, etsi tyrannicè gubernet, est verus superior, cui in omnibus licitis & honestis est parendum. Rationem à posteriori dat S. Th. in opusc. 20. de Regim. Principi. l. 1. cap. 6. *Effet hoc multitudini periculum ejus Rectoribus, si privatâ presumptione aliqui attarent præsidentium necem etiam Tyrannorum.* Sustinentes igitur Principem Tyrannum, qui auctoritate publicâ compesci non potest, monitum ejusdem Doctoris Angelici ibidem debent amplecti: *quod si omnino contrâ Tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum est ad Regem omnium Deum.* Agenda pœnitentia peccatorum, quæ ferè semper divinam justitiam provocant, ut Tyrannos regere permittat. *Di- cente Domino per Osee 13. Dabo tibi Regem in furore meo.* Et in Job. 34. dicitur, *quod regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi, tollenda est igitur culpa ut cesse Tyrannorum plaga.*

2. Potest esse Tyrannus usurpatione, qui vi ac ty- rannide Regnum invadit, & talem potest quilibet sub- ditus licite occidere, uti Judith occidit Holofernem. *Ratio est:* quia similis Tyrannus est injustus Reipubli-

*ex invasor, quem quilibet de communitate Rempublicam defendendo occidere potest. Unde S. Th. in 2.
Dist. 44. Q. 2. A. 2. ad 5. inquit: Quando non est recursus ad superiorem, per quem iudicium de invasore
possit fieri: tunc qui ad liberationem patriæ tyrannum
occidit, laudatur & premium accipit: si tamen ille,
qui tyrannice regnum occupavit, à Rep. sit receptus, non
amplius est censendus Tyrannus sed legitimus Princeps.*

*Q. 2. An peccet mortaliter maritus vel Parens,
qui uxorem aut filiam in adulterio comprehensas vel
adulterum vel utrumque adulterantem occidit?*

*R. Licet id aliquæ Leges civiles permittere videantur ut L. 20. 21. & seqq. ff. ad L. Jul. de adult. lib. 48.
t. 5. Id tamen in foro conscientiæ est peccatum mortale: quia salus animæ dictorum adulterantium absque
ullâ necessitate manifesto periculo exponitur, cum adulterantes comprehendendi, accusari & servato ordine ju-
ris per ordinarium Judicem puniri possint, & Parens
vel maritus irâ excæcatus in propriâ causâ non potest
esse minister Justitiæ; quod autem leges civiles attinet,
dicendum, illas talia homicidia non facere licita, sed
impunita, vel quod sint per Jus Canonicum correctæ,
uti modo certum est, postquam Alex. VII. damna-
vit hanc propositionem 19. Non peccat maritus oc-
cidens propriâ autoritate uxorem in adulterio depre-
bensam.*

QUÆSTIO II.

An aliquando liceat innocentem occidere?

*O*ccisio innocentis potest fieri vel directè per se &
ex intentione vel indirectè per accidentem & præter
intentionem.

*DICO. Nullo modo licet occidere innocentem. S.
Th. hic Q. 64. A. 6. Q.*

Pro-

Probatur ex illo Exod. 23. v. 7. *in sōntem ē
iustum non occides*, quia aversor impium & ratio est
manifesta, quia nemo est Dominus alterius vitæ,
nequidem res publica, unde nisi potestas vitam adi-
mendi à Deo sit concessa, iuste vita innocentis tol-
litur, quæ ratio etiam probat illicitam esse mutila-
tionem innocentis, cum non tantum humanæ vitæ,
sed etiam membrorum dominium non homini sed
Deo competit.

Obj. I. In casu quo ad conservationem reipu-
blicæ necessaria est mors innocentis v. g. Tyrannus
minatur civitatem destruere, nisi Magistratus inno-
centem occidat. In hoc inquam casu potest respu-
blica innocentem occidere: quia sicut pro conser-
vatione totius corporis licitum est, non tantum
putridum membrum abscindere, sed etiam sanum;
ita etiam pro salute totius corporis politici concessum
erit, non tantum nocentem sed etiam innocentem
occidere: quia bonum totius reipublicæ præpon-
derat bono particulari & vitæ privatæ civis.

R. N. Ass. quia non sunt facienda mala, ut even-
tiant bona; sed mors innocentis est intrinsecè ma-
la; sicut ergo ad impediendum quocunque gravissi-
mum malum à communitate, non licet mentiri,
cum hoc sit intrinsecè malum, ita neque licitum est
occidere innocentem. Ad adductum simile corpo-
ris humani & politici est disparitas: membra corpo-
ris humani prout inadæquatè distincta à toto corpo-
re non habent aliquod jus adversus alia membra, sed
toti supposito competit jus ad usum membrorum pro
sua utilitate & conservatione, ideoque si bono &
utilitati adversentur, rectè præscindi possunt: mem-
bra verò corporis politici habent jus in vitam suam
& membra, quæ res publica in suam utilitatem con-
vergere & consumere non potest: non enim in per-
sonam

sonam subditorum habet dominium, sed jurisdictionem & politicam gubernationem, quae etiam ordinatur ad ipsorum subditorum utilitatem.

Inst. 1. Potest pro bono communis Respublica periculo mortali mortis exponere vitam subditorum; ergo etiam pro bono communis occidere.

R₂. N. consequent am: quia justè civi & subdito imperatur v.g. patriæ defensio etiam cum morali periculo mortis; quia hæc est actus contentus sub potestate gubernativâ populi, ad quem in gravissimâ necessitate subditus ipso jure naturæ obligatur, ideoque in tali Præcepto non mors subditi, sed defensio patriæ, cuius honestas ipsi quoque subdito optabilis est, intenditur; mors vero innocentis non cadit sub potestate gubernativâ, nec habet honestatem, quæ sit innocentii utilis per se & referibilis in bonum Reipublicæ.

Inst. 2. Si Tyrannus sub interminatione totalis excidii à Republicâ innocentem ad occidendum peteret Respublica illum extradere posset.

R₂. Licet multi doceant; innocentii in tali casu à Republicâ præcipi posse, ut se Tyranno sistat; cum enim tunc licetè exire posset, etiam cum extremo periculo, ad id etiam videtur teneri, maximè præcipiente Republicâ. Cui Præcepto si nolit obedire, poterit tanquam inobediens & Rebellis apprehendi, & Tyranno tradi; oppositum tamen videtur verius, nempe Reipublicam innocentem ad exeundum non posse cogere, ac proinde nullo modo innocentem Tyranno occidendum tradere; quia innocentem tradere Tyranno est ad ipsius necem cooperari; non enim aliâ ratione cooperarentur satellites Tyranni, si innocentem apprehenderent & traderent; ergo hoc est intrinsecè malum, & consequenter nullo modo ob quodcumque bonum acquirendum

vel

vel malum avertendum à Republica fieri potest. Sicut etiam non potest virginem ob quascunque minas Tyranno corrumpendam tradere , vel libros sacros ad comburendum , quia tali traditione peccato cooperatur.

Obj. 2. Licet Judici occidere innocentem, quem privatâ scientiâ novit innocentem , si secundum allegata & probata servato Juris ordine sit reus v.g. Titius occidit Petrum & Paulus propter aliqua signa vehementia suspectus & infamatus per probationes juxta Ordinem Juris constitutas est convictus de criminе, vel illud in torturâ est confessus , hic à Judice occidi potest licet sciatur esse innocens.

R. Si sit Judex supremus tenetur reum absolvere ; quia supremus Judex potest in lege & ordine Juris dispensare , cum igitur habeat remedium ad liberandum innocentem , illud adhibere tenetur ; si non sit supremus Judex, tenetur omnia possibilia media ad liberandum reum adhibere : quia innocentem causare damnum irreparabile seu occidere est intrinsecè malum. Quod si verò omnibus mediis adhibitis non possit liberare innocentem ex S. Th. hic Q. 67. A. 2. Potest & tenetur reum in foro externo convictum condemnare de quo Disp. XXIV.

Obj. 3. Josue 6. filii Israel omnes lactentes & infantes interfecisse referuntur, qui procul dubio erant innocentes ; & hodie dum urbes armatâ manu occupantur, nulli parcitur nec pueris nec mulieribus ; ergo.

R. Filios Israel ex Dei ordinatione, qui erat Dominus vitæ & necis , innocentes occidisse; alias in bello justo, etiam non licet directè innocentes occidere ; sic innocentes, qui existunt in castris hostium obsidentium , non possunt interfici , etiam ad finem , ut edfacilius civitas tradatur , nec similiter post partam

2.2. Theol. Schol. Pars posterior. B victo-

victoriam & urbem occupatam possunt milites ingredientes civitatem illius innocentibus occidere, quales sunt pueri, mulieres, Religiosi, qui arma nec tractant nec bellum adjuvant.

Q. An igitur in nullo casu etiam indirecte liceat occidere innocentem?

R. Ex causâ gravissimâ aliquando indirecta occisio innocentis est licita. *Ratio est:* quia eventus non intentus sed tamen prævisus ex aliquo actu, quem licite operor non imputatur ad culpam; sic aliquando occiditur nōcens, ita ut prævideatur concomitanter secutura mors innocentis, quæ tamen neque per modum medii neque per modum finis intenditur; ergo in illo casu cædes innocentis non imputatur ad culpam v.g. Miles in bello justo dirigit tormentum in locum, ubi videt innocentibus adobtinendam victoriam: quia ille intendit solum demoliri mœnia vel turrim, quod licite potest, ut victoriam consequatur; per accidens autem est, quod innocentibus per hoc occiduntur, si enim ob præsentiam innocentium non liceret illuc tormenta dirigere, nunquam obtineret victoriam. Aliud exemplum adducunt: si injustus invasor opponens infantem innocentem alium sit occisurus, nisi simul cum invasore occidatur non ex intentione sed indirecte intans, aut si quis fugiat hostem seu propriam mortem, & cursum prosequi non possit in angusto itinere, nisi obvius infans vel claudus equi cursu conteratur.

Ex his inferes 1. Semper illicitum esse procurare abortum fœtu animato per media directe ad hoc ordinata, & taliter procurans abortum est reus homicidii propriè dicti, & incurrit irregularitatem: quia hæc est injusta occisio hominis per se & directe, quæ nullo modo licet ob periculum intamiae, mortis aut alterius damni gravissimi.

Inferes 2. Illicitum esse & peccatum mortale directe

testè procurare abortum fœtu nondum animato ad salvandam vitam matris propter infirmitatem periclitantis, vel ex aliis capitibus ad tuendam famam vel honorem: quia cap. si aliquis §. de homicid. lib. §. tit. 12. dicitur: eum qui fecerit ut mulier non possit concipere vel ut proles non possit nasci, ut homicidium esse tenendum; ergo illud est intrinsecè malum, & consequenter ob quodcumque bonum directè intendi nequit, & sicut directè procurare polluti nem, est contrà naturam generationis, & intrinsecè malum per nullam cuiuscunque boni intentionem excusabile, ità multò magis intrinsecè malum est procurare abortum: cum abortus magis generationi prolis contrarietur, quam pollutio confirmantur hæc per censuram Innoc. XI. in propositionem 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtū, ne puella deprehensa grāvida occidatur aut infameretur.*

Inferes 3. Procurationem abortus nondum animato fœtu reduci ad homicidium, quamvis non sit propriè tale: quia non est actualiter homo, qui occiditur, unde, qui ad talem abortum cooperatur, non fit irregularis; quando autem fœtus vita rationali in utero incipiat vivere certâ Regulâ definiri nequit: unde ab Innoc. XI. damnata est hæc propositio 30. *Probabile videntur, omnem fœtum, quādīu est in utero, carere animā rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, & consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

Inferes 4. Si mulier prægnans periculo morbo labore, & aliud remedium non supersit, potest pharmacum sumere, vel aliud medium applicare v.g. venæ sectionem directè & per se ad salutem ordinatam, quamvis inde abortum sequi timeat, sive fuerit animatus fœtus, sive non, nec tenetur mulier à tali remedio abstinere cum dispendio vitæ: quia tunc non fit dire

Etia occisio innocentis, sed indirecta, quæ ex gravissimis causis licet; si tamen fœtus sit animatus, attendendum foret: an spes sit ut proles moriente matre ad Baptismum perveniret: tunc enim teneretur mater præferre salutem æternam prolixiæ suæ vitæ temporali ex charitate, & hanc pro illâ exponere.

QUÆSTIO III.

An aliquando liceat occidere seipsum?

Hic iterum supponendum: quod dupliciter homo possit seipsum occidere, vel directè ex animo & intentione; ut si seipsum gladio confodiat; vel indirectè & hoc iterum dupliciter: vel quia positivè influit in suam necem, indirectè tamen, nimurum se voluntariè exponendo manifesto periculo, ut occidatur: v.g. ponendo aliquam actionem ad aliud finem, ex quâ prævideatur secutura lui occisio; vel quia negativè se habet, non fugiendo periculum, non avertendo damnum imminens. Recolantur hic dicta Disput.

XIX. Q. I.

DICO. *Seipsum occidere est omnino illicitum S. Th. hic Q. 64. A. 5. O.*

Probatur triplici ratione S. Th. prima sumitur ex inclinatione naturali, quam homo habet ad conservationem suæ vitæ & charitate, quam erga se homo habere debet, contrà quam peccat homo se interficiendo. Secunda sumitur ex ordine, quem habet homo ad Rempublicam vel congregationem aliorum hominum, cuius est pars, & ex hoc communitati injuriam facit seipsum occidendo & Reipublicam parte suâ absque consensu Reipublicæ privando; per accidens autem est, quod aliquando homo non sit utilis Reipublicæ vel non sit pars alicuius communitatis particularis: ut vagus nullibi habens domicilium, qui tamen universalis hominum communitatis Pars esse non definit. Ter-

tia

tia denique sumitur ex ordine , quem homo habet ad Deum : quia homo non est Dominus vitæ suæ , sed Deus ; ideoque sicut injustitiam faceret Domino , qui servum illius occideret , sic Deo facit injuriam , qui se occidit : cum non sit Dominus , sed administrator vitæ suæ .

Ex quibus sequitur : quod nunquam homo scipsum possit occidere ; potest tamen negativè se habere ad sui occisionem , eandem non impediendo , cum tamen mortem impedire posset , ex causâ rationabili & motivo virtutis , etiam positivè ex causâ justâ aliquid potest facere , cum quo conjungitur occisio , vel ex quo mors secututa dignoscitur : Ratio prioris est : quia vel instat periculum mortis à causâ extrinsecâ v.g. infirmitate , & tunc licet sit obligatio ad adhibenda media ordinaria pro vitæ conservatione : qui enim illa negligit , vitam negligere videtur , & consequenter negligenter se gerit in conservatione vitæ , cuius est administrator ; non tamen est obligatio ad adhibenda media extraordinaria v.g. procurandas exquisitas medicinas , faciendas magnas expensas , tolerandos magnos & diuturnos dolores &c. vel imminet periculum mortis inferendæ ab homine , & tunc non est obligatio ad adhibenda media etiam ordinaria ; sic plures Martyres , quainvis contrâ Tyrannos mediis ordinariis defendi potuissent , mortem patienter sustinuerunt ; ita etiam potest aliquis ex virtute in naufragio tabulam , in extremâ necessitate famis panem alteri relinquere . Si ex causâ naturali extrinsecâ periculum vitæ immineat : ut à flumine inundante , urgente incendio , ferâ saeviente &c. tenetur quis medis ordinariis uti , ut vitam conservet : quia non appetet motivum aliquod virtutis , ob quod se occidi quis permittat , sicut econtrâ si tale motivum adsit , licet imò meritorie occisionem vel mortem non impedit , modo judicetur prudenter

moris permisso necessaria, sic virgo licet sibi mortem ab alio inferri permittit, ut pudicitiam conservet; Carthusianus licet à carnibus abstinet, licet prævideat ex hâ abstinentiâ mortem accelerandam; licitum est pœnitentias, jejunia, vigilias, studia & labores assumere ex motivo virtutis, etiamsi ob id per aliquod tempus vitæ abbreviatio timeatur: tum quia hæc sæpe plus prosunt ad vitæ conservationem quam abbreviationem; tum quia licet sanitati noceant, tam levem tamen cooperationem ad mortem habent, ut meritò admittenda & laudanda sint, ut corpus per castigationem in servitutem Spiritus redigatur: attamen mortem ex his non licet intendere: sic illicitum est pœnitentias & macerationes assumere ex intentione abbreviandi vitam: quia sicut non licet se occidere, quamvis post horam sit occidendum, ita non licet etiam his actionibus vitam ex proposito breviare: sicut neque licet absque tali intentione vitam abbreviandi his exercitiis tam imprudenter & immoderatè uti, ut per hoc vitam notabiliter sibi abbreviari timeat: quia tenetur homo ex charitate erga le ipsum vitam conservare: eò quod non sit Dominus vitæ sed administrator, esset autem infidelis & imprudens administrator vitæ, si eam immoderatis corporis afflictionibus consumeret.

Ratio posterioris est: quia non est prohibitum homini, ne vitam suam periculo exponat ex justâ & laudabili causâ, sed ne directè & ex intentione vel absque rationabili causâ vitam periculo exponat, aut conservare negligat; immo saepius est obligatus homo vitam suam manifesto periculo exponere: scilicet quando magnum Reipublicæ damnum avertendum vel commodum procurandum, vel specialis obligatio est ex pacto vel officio, qualem v.g. habet miles ad servandam stationem assignatam, gubernator ad non deserendam Rempublicam sibi commissam, & Parochus ad ad-

mi-

ministranda Sacra menta tempore Pestis, Pro praxi autem nota sequentes Regulas.

Prima. Qui sine causa sufficienti morali periculo mortis se exponit seipsum occidit : quia interpretativè censetur velle mortem propriam , unde à peccato non excusantur frequentantes hastiludia, torneamenta, agitationes taurorum & similia , in quibus exercitatores exponuntur periculo vitæ ; quare hæc exercitia à Ss. Canonibus prohibentur sub pœnâ privationis Ecclesiasticæ sepulturæ cap. 1. & 2. de torneam. lib. 5. tit. 1. Hic etiam comprehenduntur illi , qui advertunt vel facile advertere possunt , quod frequenti & nimiâ potatione maximè vini adusti vitam suam notabiliter abbrevient, nec tamen desistunt.

Secunda. Qui ex causâ justâ & sufficienti se periculo vitæ exponit, non censetur se occidere , sed ad summum mortem se utram permittere ; quare non peccat famulus , qui ad salvandum herum , amicus , qui ad eripiendum amicum se hostibus objiciunt.

Tertia. Qui facit aliquam actionem , ex quâ immediate mors infallibiliter sequitur , absque ullâ spe evasionis , censetur seipsum occidere juxta quam Regulam non excusantur milites marini , qui ne navis in hostium potestatem deveniat, vel illi acerbiore morte occiduntur, immittunt ignem in pulverem tormentarium , quo navis & existentes in eâ pereant sine ullâ spe evasionis, quod additur: quia si profluentes in mare aliquam haberent evadendi spem , excusarentur , sicut quoque ab aliquibus in priori casu excusantur probabiliter exemplo Eleazar Machabæi , qui 1. Machab. 6. Elephantem, à quo prævidebat se suppressendum, occidit, & Samsonis , qui ut interficeret hostes populi electi domum evertit , cuius ruinâ & ipse interiit , quos tamen S. Aug. & S. Th. ex hoc à peccato excusant, quod ex speciali Spiritus sancti inspiratione id fecerint.

Quarta. Qui aliquid facit ex justâ & rationabili catâ, ex quo prævidetur mors secutura, adest tamen aliqua spes evadendi, non censetur seipsum occidere, unde excusat. qui fortuito incendio comprehensus exilit è fenestrâ : tum quia hoc facit ad evadendum dirissimam mortem, & consequenter habet sufficientem causam. Tum quia non est omnino certum, quod cadendo sit occidendum atque ita censetur velle evadere motrem duriorem & certiorem.

Q. An etiam nunquam sit licita directa sui mutilatio?

R. I. Nemo potest se mutilare aut permittere, ut ab alio mutiletur sano membro: quia homo non est Dominus membrorum, sed administrator, ideoque illis solum uti potest, in quantum conducunt ad bonum totius, ad cuius conservationem a Deo sunt data, hinc peccant, qui se ipsos vel proles suas aliquo membro privant ad victimum querendum: v.g. circumforanei, mendici crura frangentes teneris pueris, qui ad servandam castitatem vel vitandum aliquod peccatum se mutilant: quia non est membrum absindendum propter salutem totius, nisi quando aliter non potest toti subveniri, & ideo si salus corporalis possit aliunde haberi, non potest membrum abscondi; atqui ad conservationem v.g. castitatis non est illud medium necessarium, vel ad vitanda peccata: cum omnia voluntati hominis, cui Deus præparavit media sufficientia, subjaceant. Verba Christi Matth. 18. *Si manus tua vespes tuus scandalizat te: abscide eum...* Et si oculus tuus scandalizat te Eccl. Non sunt intelligenda in sensu litterali, sed mystico; ad exempla Sanctorum in contrarium dicitur Santos similia fecisse ex instinctu Spiritus sancti, in quibus admirandi non imitandi sunt, quod adferri solet de S. Marco Evangelista, quasi præsciderit sibi pollicem, ut fabulosum exploditur; quod

sire-

Si reverâ à Sanctis simile quid factum fuerit , illud processisse ex Spiritus sancti instinctu , dicendum est.

2. Si membrum sit putridum & totius corruptum , potest illud privatâ authoritate vel ab eo , qui ipsum habet , vel ab eo , qui curam illius gerit : utâ Parente , tute, Republica , si id expediens sit bono communi , non verò ab altero ipso invito abscindi : quia membrum est propter totum , cuius Parsest . ideoque quando totum est in periculo , membrum ab eo , qui totius curam habet , potest abscindi. Et quidem si exigui sint futuri dolores , & abscissio membra de consilio medicorum est necessaria ad salvandam vitam , tunc est obligatio gravis permittendi talim abscissionem ; regulariter tamen , si patiens sit rationis compos , & sui juris , non potest Chirurgus ipso invito membrum abscindere : quia invito non potest inferri violentia , si verò magnis doloribus abscissio est facienda , non tenetur infirmus eandem pati neque Respublica vel Prælatus illud præcipere potest , nisi esset Persona multum bono communi necessaria.

3. Quando imminet vitæ periculum à causâ extrinsecâ , quod evadi non potest absque abscissione membra sani , illud præscindi potest. Sic tentus vinculis certò occidendum potest v.g. manum abscindere , ut se vinculis expedit : quia ad conservationem totius licet Pars aliqua vitâ privatur ; quemadmodum igitur in periculo incendii aliquis potest se v.g. ex turri dimittere , ne pereat incendio , licet prævideat crura v.g. esse frangenda ; itâ etiam manum præscindere potest , si aliter mortem evadere nequeat. Idein probabiliter extedatur ad eum , cui Tyrannus minatur mortem , nisi sibi ipsi manum præcidat , nisi hæc comminatio procedat ex contemptu Dei , aut alio fine , ob quem potius mortem subire , quam ad vitam conservandam se membro mutilare deberet , cæterum qualiter homicidiu-

dium & mutilatio inducat irregularitatem dicetur
3. Parte tum Disput XXXIX. Q. IV. tum quoad inca-
pacitatem ad ordines Disp. XLIII. Q. I.

QUÆSTIO IV.

De moderamine inculpatæ tutelæ?

DICO. Secundum jura vim vi repellere licet cum
moderamine inculpatæ tutelæ. S. Th. hic Q. 64.

A. 7. O.

*Explicatur & probatur Conclusio ex cap. significasti
18. de homicid. lib. 3. tit. 12. ubi dicitur : quod vim
vi repellere omnes leges & omnia jura perniittunt , si
fiat illud cum moderamine inculpatæ tutelæ , non ad
sumendam vindictam , sed ad injuriam propulsandam.
Ratio est , quia quilibet tenetur proximum diligere si-
cuit seipsum non verò plus quam seipsum ; atqui si vio-
lentum invasorem in quibuscumque bonis non liceret vi
repellere , teneretur homo plus diligere proximum ,
quam seipsum : teneretur enim bonum proprium amit-
tere , ne proximus in bonis suis laderetur ; attamen
necessarium est , ut vim repellens servet moderamen in-
culpatæ tutelæ , quod ille servat , qui illa solum agit
in sui defensione , quæ ad eam sunt necessaria : unde
qui alium vulnerando , mutilando , verberando , se
subducendo potest evadere , ulterius invadentem la-
dere non debet , & generaliter , quandocunque sine
alterius occisione , potest invasus se sufficenter tueri &
vitam conservare , licet occidere non potest invaso-
rem ; potest autem esse invasor vitæ , pudicitiae , ho-
noris & divitiarum , & de omnibus his queritur : an
si ad defensionem vitæ , pudicitiae , honoris & divitia-
rum occisio invasoris necessaria sit , is licet possit occi-
di ? de quibus sit*

§. I.

An servato moderamine inculpata tutelæ liceat occidere injustum invasorem vita?

Status quæstionis est: an, quando quis injustè invaditur v. g. à latrone neque aliter potest evadere mortem, quam eum occidendo, liceat se defendere cum invadentis occisione; & quidem quæritur: an id per se liceat; cum certum sit, quod plerumque tali defensio rioccisivæ soleat adesse animus vindictæ, odii, iræ &c. Ob quas passiones taliter se defendens sæpius à peccato non excusat. Aliqui rigidiiores Theologi negativam tuentur, quam maximè fundant in authoritate S. August. qui lib. 1. de lib arb. cap. 5. examinans quæstionem an citræ culpam interfici possit hostis irruens vel insidiator aut sicarius sive pro vita sive pro libertate sive pro pudicitia. Nudet: legem quidem (videlicet quæ permittit tales invasores impunè occidi) non reprehendo, sed quo pacto istos defendant, qui interficiunt, non invenio.

DICO Si aliquis ad defendendam propriam vitam . . . moderate violentiam repellat erit licita defensio . . . nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatutelæ pretermittat ad evitandam occisionem alterius. S. Th. hic. Q. 64. A. 7. O.

Probatur 1. Ex illo Exod. 22. v. 2. & 3. si effiringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit & ipse morietur. Quiem locum S. Ang. sic explicat: intelligitur ergo non pertinere ad eum homicidium, si fur nocturnus occidatur, si autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere hoc est enim quod ait: si oriatur sol super eum &c. Quia poterat

terat discernere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset: ex qua explicatione S. Aug. quæ refertur in cap. si perfodiens 3. de hom. lib. §. tit. 12. bene infertur: homicidium non esse injustum & illicitum, si ille, qui ad occidendum venit, ab invaso occidatur.

Probatur 2. Ex jure canonico cap. significasti 18 de hom. cap. si vero 3. de sent. excom. lib. §. tit. 30. cap. dilecto 6. eod. in 6. lib. §. tit. 11. clem. si furiosus un. de hom. lib. §. tit. 4. in quibus aperte dicitur: quod vim vi repellere leges & omnia jura permittant, ideoque, qui vim vi repellendo alium occidit, irregularitatem & alias pœnas homicidii non incurrat. Sunt autem hæc jura pro foro conscientiæ intelligenda: quia jus canonicum plerumque agit de foro conscientiæ: cum soleat corriger leges civiles, quæ aliquid permittunt ut licitum in foro externo, quod in foro conscientiæ non est licitum, sic præscriptionem malæ fidei correxit à lege civili permisam, & legem civilem, quæ permittit occidi adulteram in adulterio deprehensam, emendavit.

Non obstat, quod con. Trident. sess. 14 de reform. cap. 7. requirat, ut dispensetur cum eo, qui vim vi repellendo, ut à morte se defenderet, occidit.

Contrà enim est: quod concilium agat de eo, qui immoderatè se defendit, neque decernit, quod occidens invasorem sit irregularis, sed tantum loquitur conditionatè, quod si ob tale homicidium necessaria sit dispensatio ea Metropolitano vel vici-nori Epilcopo committatur; formalia sunt: si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum & altaris ministerium & beneficia quacunque ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur committetur

*mittetur loci ordinario aut ex causa Metropolitano seu
viciniori Episcopo.*

Probatur 3. Ratione : qui occidit alium non privatâ sed publicâ potestate, licet occidit, atqui intenti mens invasorem, si aliter evadere nequeat, illum interficit autoritate publicâ : quia tam lex naturæ, quam positiva, dum concedunt vim vi repellere, faciunt eum, qui invaditur, si aliter evadere nequeat, ministrum publicum justitiæ, non quidem ad vindicandum : posset enim vindicta differri in aliud tempus, sed ad defendendum se ab injuria invadentis, quæ res, cum periculum habeat, dilatationem non patitur.

Conclusio hæc limitatur sequentibus.

1. Præter moderamen inculpatæ tutelæ prius expositum, debet esse vera aggressio per vim & violenciam, quam vi repellere leges & jura permittunt ; unde non licet occidere iniquum Judicem, aut falsos testes, qui vitæ tuæ insidiantur : cum non sit hic nisi calunnia, non vis illata, quæ proinde per ordinem juris non per violentiam propulsari debet.

2. Debet vis actualiter inferri, unde qui suspicans alium paratum esse ad ipsum occidendum, si eundem prius occidat, non erit defensio, nec illatæ violentiæ propulsatio, sed præventio, ubi notandum, quod à pluribus censeatur vera aggressio moralis, et si invadens actualiter non aggrediatur, ideoque juxta hos subinde satis erit, quod certò quis sciat alium primâ datâ occasione ipsum occisurum. Exemplum dant in muliere inveniente sub pulvinari pugionem à marito depositum, quo casu docent, præveniri posse maritum, ut ipsa licet illum occidat, quia et si adhuc maritus dormiens uxorem actualiter non invadat, censetur tamen morali modo invasor, dum de mala intentione mariti constat certò, neque

uxor

uxor aliter potest evadere. Idem sustinent de eo, qui necessariò per locum transire debet, in quo incidet in manus inimici occisuri, aut qui occidendus est à famulis accersitis Domini, nisi Dominum occidendo præveniat, hæc tamen in praxi sunt periculosa: quia pluribus viis potest animus inimici mutari & periculum imminens cessare; deinde quia jure naturæ solum licet vim vi repellere, quod intelligitur in actuali conflictu, qui verò prævenit inimicum, quantumvis paratum, non patitur vim, nec est in actuali conflictu. Denique hoc semel admisso, facile fiet descensus ad Laxiora.

3. Exigitur, ne occidens injustum vitæ invasorem intendat ejus mortem ut in terminis ait S. Th. loc. cit. *Hucitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei, qui habet publicam Authoritatem.* Ratio est: Quia intendens mortem alterius in illâ occisioue excedit moderamen inculpatæ tutelæ, quod in hoc consistit, quod ea solum pro defensione adhibeantur, quæ necessaria sunt ad vim repellendam; ad hoc autem sufficit, quod intendatur sui defensio, & permittatur alterius occisio.

Nec obstat 1. Quod videatur impossibile, aliquem non intendere alterius necem, qui voluntatiè ponit talem actionem, ex quâ certè alterius mors est secutura; quia dum quis intendit finem, etiam intendit medium ad illum finem necessarium, sicut autem finem illum licet intendit: v. g. se defendit, sic etiam licet intendit occisionem invadentis, tanquam quæ ad sui defensionem sit medium necessarium.

Nam contrà est: quod occisio invadentis non sit medium licitum ad sui defensionem, sed effectus per accidens ex defensione secutus; sic dum medicus vult sanare ægrum, etsi noverit ex suâ medicinâ, quam applicat, secuturam esse magnam ægri debilitationem, illam tamen debilitatem non assumit tanquam medium

ad sanandum, neque etiam illam intendit, sed solum eam evenire permittit; quia non tenetur illam evitare, tamen sanare volens omnino sine tali debilitate, si posset; ita etiam defendendo intendit sui defensionem, quæ hic & nunc fieri non potest, absque occisione invadentis, quam tamen non debet intendere, sed illam potest permettere, dum in hoc casu alterius iniquè invadentis occisionem evitare non obligatur.

Nec obstat 2. Quod intentio actus licti sit licita; sed defensio occisiva est licita; ergo etiam illam intendere erit licitum.

Contra enim est: quod licetè intendi possit actus lictus, non tamen, quod cum actu licto conjungitur, aut ex eo sequitur, unde licetè ipsa defensio occisiva intenditur, non verò omnis effectus ex illa secutus. Sic in abortu fœminæ prægnantis facto ex medicinâ de se & directè tendente in sanitatem fœminæ, sed indirectè ad abortum causandum, sumptio quidem medicinæ est licita, & intendi potest, effectus tamen ex illâ per accidens & quasi præter intentionem secutus intendi nequit. In praxi tamen videtur esse satis, si habetur hæc sincera intentio: nullo modo velle hunc occidere, si a iâ viâ evadere possem sine hujus interfectione, quia tamen nulla alia via patet, & necesse est me vel illum perire, præstat perire ipsum, qui me injustè invadit, & ideo volo me defendere, etsi ejus morte sequatur; quia autem homo difficilimè & raro ab alio iniquè invasus masuerudinem, patientiam, dilectionem erga proximum ita servat, ut non ex irâ petat mortem sui inimici tanquam suum quoddam bonum simul cum sui defensione, imò raro adhibetur aliud omne remedium, quod citrâ necem invasoris adhiberi potest, saepius in defensione occisivâ peccatur graviter tum ratione animi inordinati, iræ, odii, vel vindictæ; tum quod excedatur moderamen inculpatæ tutelæ & ita intelligi-

telligendi sunt sancti Patres qui in contrarium adduci possent.

Ex his Colliguntur: Bene censuratas esse à Clero gallico Anno 1700. tanquam juri naturali divino, positivo & gentium contrarias propositiones sequentes 37. Quando quis decretit te occidere, & hoc alicui manifestavit, sed nondum cœpit exequi, potes eum prævenire occidendo, si aliter non potes effugere; ut si maritus pugionem sub cervicali ad occidendum noctu conjugem posuerit; si venenum tibi propinanum paraverit, si rex unus adversus alium classem ordinaverit. 38. Si arma quidem necdum parvit sed habet tantum decretum firmum & efficax te occidendi, quod tibi vel revelatione divinâ vel manifestatione confidenti ab amicis factâ innotescat, potes prævenire, quia per decretum et si purè internum censetur sufficienter aggressor.

Obj. 1. Matth. 5. v. 39. dicitur: *Ego autem dico vobis, non resistere malo.* Et Apost ad Rom. 12. v. 19. monet: *Non vosmetipso defendentes charissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim: mihi vindicta & ego retribuam dicit Dominus & v. 21. noli vinciri a malo, sed vince in bono malum;* Ergo non debet quis se defendere defensione occisivâ.

Res. His textibus consuli patientiam Christianam, etiamsi quis justè se defendere posset, unde & dicuntur beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quod sicut consulitur, ita etiam prohibetur in omni alias justâ defensione occisivâ appetitus vindictæ.

Obj. 2. S. Aug. l. 1. de civit. Dei cap. 21. explicans illud: *Non occides:* tres solum exceptiones Authoritate divinâ commemorat. Prima: nequaquam contrâ hoc præceptum fecerunt, qui Deo Authiore bella gesserunt. Secunda: qui personam gerentes publicæ potestatis

statim secundum ejus leges hoc est Justissimæ rationis imperium sceleratos morte puniverunt. Tertia Abraham non solum non est culpatus crudelitatis criminis, verum etiam laudatus nomine pietatis, quia voluit Filium nequaquam sceleratè sed obedienter occidere, & concludit verbis supra allegatis: *Hic igitur exceptus, quos vel lex justa generaliter vel ipse fons justitiae Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum vel quemlibet occiderit homicidii crimine innectitur.* Ergo juxta S. Aug. non licet defensionis gratiâ occidere, cum hic casus Authoritate divinâ à communi regulâ non occides non sit exceptus.

R. Idem S. P. lib. 22. Cont. taustum cap. 70. tom. 6. explicans cohibitionem Christi in Evangelio Matth. 26. Petro factam, ita scribit: *Ille autem nimirum gladius, qui nulla superioris, ac legitimâ potestate vel iubente vel concedente in sanguinem alicujus armatur;* Atqui juxta omnes leges humanas uti & divinam Exod. 25. latam procedit invasus & ideo legitimâ potestate à naturâ cuique concessâ in sanguinem alterius armatur; ergo.

Obj. 3. Ideò licitum erit occidere injustum invasorem vitæ: quia id ad conservandam vitam invasi erit necessarium: si enim aliter mortem effugere posset, excederetur moderamen inculpatæ tutelæ; ergo eodem modo licebit mentiri vel fornicari. si ad vitam conservandam hoc sit medium necessarium; non enim magis licet privata hominis occisio, quam mendacium aut fornicatio.

R. 1. N. consequentiam: disparitas est, quia occisio dicta non est intrinsecè mala. mendacium vero est intrinsecè malum nullâ circumstantiâ cohonestabile.

R. 2. Mendacium vel fornicatio non est effectus per accidens secutus ex propriâ defensione; occisio autem

2. 2. Theol. Schol. Pars posterior. C inva-

invasoris est effectus ex actu per legem, *vim vi repellere licet*: permisso præter intentionem securus.

Obj. 4. Si defensio occisiva sit licita, videtur sequi, quod invasus ad illam obligetur, ne aliquis censatur suicida, voluntariè omittens medium licitum ad conservandam vitam, quod habet in suâ potestate.

R₂. N. consequentiam: licet enim quis possit defendere etiam cum occisione invasoris, ad id tamen nulla est obligatio maximè, si non sit persona multum bono communi utilis, sed potest sui ipsius occisionem permittere, exemplo Christi; imò majoris perfectio-
nis foret, permittere se interfici, quam defendendo occidere alium, si invasus est in statu gratiæ; alias enim stultè faceret exponendo se morti corporis & animæ; quod addo: licet enim foret heroicus actus charitatis, se permittere occidi, ne proximus occidatur, si tamen invasus sit in statu peccati mortalis, erit dubium: an per actum, quo pro Fratre invadente permittit se occidi, justificetur, eo quod perfectæ charitatis actus so-
lum justificantis sit admodum sublimis, & valde incer-
tum sit, quid ad illum actum requiratur.

Obj. 5. Invasor injustus, si occidatur, erit certò damnandus, adeoque est in necessitate extremâ spiri-
tuali, pro quâ juxtà S. Aug. & communem Theolo-
gorum vitam suam corporalem non dubitabit Christia-
nus amittere.

R₂. Negando ass. quia injustus invasor non est ab-
solutè in extremâ necessitate spirituali, sed malâ suâ
voluntate in illâ est positus & in eâdem voluntariè per-
severat; cum, si cesset invadere, necessitas tollatur;
quando autem quis suâ malitiâ est in tali necessitate,
a quâ se facilè posset eximere, nemo tenetur ei succur-
rere cum suo damno, veluti si quis dicat: da mihi
100. imperiales, alias certò me suspendam, non
tunc-

teneris tantum pecuniae date, ne alter se suspendat; eò quod illud non sit propriè necessitas, sed alterius malitia quæ non debet alicui patrocinari. Quod dictum est de defensione propriâ, applicandum eit ad defensionem justam proximi: & ad vulnerationem aut mutilationem necessariam, ne invasus vulneretur vel mutiletur.

§. 2.

An liceat occidere invasorem pudicitie & honoris?

Pudicitiam contrà injustum invasorem cum occisione ipsius defendi posse valde probabiliter sustinetur non tam propter bonum integritatis corporalis, quod amittitur, quam propter vehementissimam delectationem amissioni pudicitiae conjunctam, quæ facillime voluntatem ad consensum pertrahit, unde ne consentiendo delectationi mortaliter peccet ac ita per injustam alterius violationem Virgo patiatur detrimentum in bonis necessariis animæ, quod secundum ordinarium cursum aliter vix evadet, probabile est posse occidi injustum invasorem pudicitiae.

Honoris non adeò æqui æstimatorum eum sæpe vitæ præferunt, unde commune axioma: vita & fama pari passu ambulant, dubitatur ergo an vera sit hæc persuasio: quod justæ defensionis limites non excedat, qui pro tuendo honore aggressorem occidit.

DICO: Privare aliquem vitâ in nullo casu pertinet ad aliquem, nisi ad publicam potestatem, cui committitur procuratio boni communis. S. Th. hic Q. 65. a. 1. ad 2. Sive neque ob pudicitiam conservandam neque ad tuendum honorem licet Authoritate privatâ occidere.

1ma Pars: Est expressa S. Aug. l. 1. de lib. arbit. cap. 5. Tom. 1. contrà plures recentiores dicentes: *De pudicitia vero quis dubitaverit, quin eas sit in ipso*

animo constituta, quandoquidem virtus est, unde à violento stupratore eripi non potest. Quidquid igitur crepturus erat ille, qui occiditur, id totum in potestate nostra non est, unde infert: quapropter legem quidem non reprehendo, que tales permittit interfisi, sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio; Et ratio est: quia nullibi casus ille à generali regulâ Non occides. Legitimâ Authoritate est exceptus, & potest pudicitia alia via semper conservari, quam pudicitiae invasorem occidendo videlicet non consentiendo; ergo eum occidere est excedere moderamen inculpatæ tutelæ.

Obj. 1. Pudicitia est bonum vitâ charius; si ergo te defendendo liceat servato moderamine inculpatæ tutelæ invasorem vitæ interficere, multò magis licebit interficere invasorem pudicitiae propriae vel alienæ.

R. N. ant. quia vita secundum se est longè præponenda pudicitiae & integritati corporali, dummodo retineatur integritas mentis, & licet aliquæ castæ matronæ mallent potius mori, quam fœdari, sicut etiam vir nobilis saepius vellet potius mori, quam honorem perdere, ex hoc tamen non sequitur, honorem esse vitâ potiorem: aliud enim dicitat æquum fundatumque judicium.

Obj. 2. In violatione pudicitiae est periculum magnum peccati, ne vim patiens ob delectationem maximam tali actui conjunctam ad aliquem consensum pertrahatur; ergo ob tale periculum licebit occidere.

R. Cum aliâ viâ possit hoc peccatum evadere, non licet invasorem occidere; si ergo invasus sit verè pudicus habet in potestate suâ non consentire, & pudicitiam animi non consentiendo conservare, quæ non in integritate corporis sed in animæ puritate consistit, debebit ergo potius dicere cum S. Luciâ: si invitam jussi-

jusseris violari , castitas mihi duplicabitur ad cotonam.

Q. An virgo ad evitandam mortem vel infamiam peccet non resistendo invatori pudicitiae , si animo non consentiat ?

R. Cum vix esse soleat permissio oppressionis violentiae absque peccato oppressae : quia rarissimum est , quod si velit , non possit aliquo modo resistere , & violationem impedire , sed ob metum , animi imbecillitatem , & aliquando etiam ob latentem lasciviæ affectum consentiant similes saltem in fine , quem consensum sicut & ingressum debuissent virili fortitudine impedi- re , hinc non totis viribus resistendo peccant , cuin enim nullus metus excusat à peccato cooperationem ad peccatum , à peccato communiter non excusantur , unde à Clero Gallicano damnata est ut temeraria , scandalosa , piarum aurum offensiva , erronea & legi Dei contraria hæc propositio inter censuratas 44. In hæc vi *E* metu infamie mortisque poterat susanna dicere : non consentio actui sed patior , *E* tacebo , ne me infameris *E* ad mortem adigatis , forte susanna id vel nesciebat , vel non cogitabat , sic enim honeste castaque virgines putant , se esse reas *E* consentire le- nonibus , si non clamore , manibus totisque viribus resistant ; potuisset susanna in tanto periculo infamia *E* mortis negativè se habere *E* permittere in se eorum li- bidinem , modo interno actu in eam non consensisset , sed eam detestata *E* execrata fuisset : quia majus bonum est vita *E* fama quam pudicitia , unde hanc pro illâ exponere licet , hucusque propositio damnata .

2da Pars: Quod illicitum sit defensionis gratiâ oc- cidere invasorem honoris , est contrâ plures recentio- res turior & probabilior , imò certa post sequentes pro- positiones ab Alex. VII. damnatas 17. Est licitum re- ligioso vel Clerico Calumniatorem gravia criminis de se

vel religione suâ spargere minantem occidere , quando aliis modus defendendi non suppetit , uti suppetere non videtur , si Calumniator sit paratus vel ipse religioso vel opus religioni publicè & coram gravissimis viris predicta impingere , nisi occidatur . 18. Licet interficere faustum accusatorem , falsos testes acetiam judicem , à quo iniqua certo imminet sententia , si alias innocens non possit damnum evitare . Secunda ab eodem censurata . Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare , ne timiditatis notam incurrat apud alios . Item hæc ab Ianoc . XI . damnata 30. Fas est viro honorato occidere invasorem , qui nititur calumniam inferre , se aliter ignominiam evadere nequeat , idem quoque dendum , si quis impingat alapam vel fuste percutiat & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat .

Rationes pro responsione sunt .

1ma : Nulla est Authoritas publica , quâ invasti invasores honoris & famæ possint legitimè occidi ; ergo invasi à lege : *non occides* minimè eximuntur jura enim & leges , quæ dicunt vim vi repellere esse permisum , loquuntur de violentiâ & vi physicè illata in bono eodem , in quo invadens læditur .

2da : Occisio illa in defensione est mala , quæ sit excedendo moderamen inculpatæ tutelæ , atqui defensio honoris occisiva fit cum excessu moderaminis : cum semper vel ferè semper honor & fama recuperari aliter possint , quam per mortem invadentis aut Calumniantis : tum quia poteſt læſus Calumniatorem juridicè ad reſtitutionem famæ compellere ; tum etiam quia per occiſionem infamatoris honor Calumniæ læſi non recuperatur , sed potius magis apud prudentes minuitur .

3ta : Nimium ordo charitatis pervertitur , dum fama bonum in versatili aliorum opinione consistens , quæ ut aura mutatur , saluti corporali & spirituali alterius anteponitur .

4ta: ex opposita sententia aperitur porta homicidiis: dum hominibus mundanis magni nomen & famam facientibus permittitur, ut tanquam Judices in causa propria pro imaginaria honoris & famæ lœfione contrâ quoslibet famam lœdentes sententiam mortis exequantur. Nec hæ rationes tantum probant, quod nequeat occidi is, qui famam & honorem invadit verbis, sed etiam, qui facto inhonorat, agendo aliquid alteri contumeliosum;

Obj. 1. Non est minor violentia nec minus nociva viro honorato, si invadatur per calumnias & detractio-nes falsas, quam per arma; atqui invalus per arma potest se defendere defensione occisiva servato mode-ramine; ergo.

P. N. maj. Quia invalus per arma est certus de mo-deramine inculpatæ tutelæ, de quo non est certus in-valus per calumniam: tum quia forte audientes non adhibebunt fidem; tum quia contingere potest, quod per talem occisionem non liberetur à nōumento ca-lumniæ, & ideo occiso non sit medium ad evitandam calumniam, adeoque nec ad defensionem intentam; tum quia occiso calumniatoris potius est medium ad augendum nōumentum detractionis: quia homines facilius credunt detractionem de eo, quem vident esse homicidam; quibus accedit, quod si licitum sit de-fendere se occidendo calumniatorem, id cederet in grave detrimentum boni publici, dum aperietur janua homicidiis.

Obj. 2. Honor prævalet vitæ dicente S. Th. opus. 4. de decim Præceptis Præcepto octavo: nihil est ita charum homini sicuti fama ergo à pari.

P. N. antecedens quod honor & fama secundum le prævaleant vitæ: cum secundum se considerata sint bona instabilia & caduca; subinde tamen debet fama vitæ anteponi, quando scilicet ex amissione famæ & ho-noris

49 DISPUTATIO XXVI.

noris alii graviter scandalizarentur sic L. 2. Machab.
cap. 6. Eleazarus maluit amittere vitam, quam acci-
pere maculam in gloriâ suâ & ne adolescentiores scan-
dalizaret; dato autem, quod fama prævaleat vitæ, non
ideo tamen licitum erit pro conservatione famæ occide-
re injustum invasorem : cum occidens invasorem
id faciat publicâ Authoritate legibus permittentibus
vim vi repellere , non autem ille qui occidit calum-
niatorem.

§. 1.

An liceat occidere invasorem bonorum temporalium ?

DICO. Humana iustitia.. illos , qui sunt perniciosi
in alios, occidit : eos verò , qui peccant, aliis graviter
non nocentes ad pœnitentiam reservat S. Th. hic
Q. 64. A. 2. ad 2. Sive publicæ non verò privatæ
Personæ licitum est pro conservatione bonorum tempo-
ralium occidere injustum invasorem.

Probatur 1. Ex illo Exod. 22. ubi expressè prohibi-
betur occisio furis diurni , quia videri poterat, quod
venerat ad furandum juxta cap. si perfodiens 3. de ha-
miciid. lib. 5. tit. 12. quod non pro quâvis re tempo-
rali etiam levi occidere liceat patet ex propositionibus
damnatis ab Innoc. XI. 31. Regulariter occidere pos-
sum furem pro conservatione unius aurei 32. Non sa-
lum licet defendere defensione occisivâ , qua actu possi-
demus, sed etiam ad qua Jus inchoatum habemus, &
qua nos possessuros speramus. 33. Licitum est tam
heredi , quam legatario contra iustè impedientem,
ne vel hereditas audeatur vel legata solvantur se taliter
defendere (defensione scil. occisivâ) sicut & jus ha-
benti in cathedram vel præbendam contrâ eorum posse-
sionem iustè impedientem.

2. Pro hâc responseone militant eadem rationes,
quæ § præced. adductæ sunt, quibus additur : esse
contrâ ordinem charitatis præferre bona fortunæ, quæ
per

per furtum amittuntur, bono temporali vitæ & bono spirituali animæ, quæ per occisionem furis amittuntur.

Obj. 1. Cap. interfecisti 2. de homicid. absolvitur à pœnitentiâ ille, qui se suaque liberando furem aut latronem occiderit, licet jejunium aut eleemosynæ suadeantur, si forsitan in defensione aliquis excessus sit factus,

R. Verba illa : *te tuaque liberando intelligi* non disjunctivè, sed copulativè, si bona temporalia simul cum vitâ invadantur, in quo casu est licita defensio occisiva, leges civiles, quæ dant impunitatem occisori furis, intelligendæ sunt in foro externo aut de fure nocturno, qui non scitur an ad furandum vel occidendum venerit, vel corrigitur per jus Canonicum, ut in casu simili de marito occidente adulterum in flagranti inventum.

Obj. 2. Bona temporalia sunt instrumenta & media necessaria tum ad exercitium virtutum, tum ad conservationem vitæ; ergo si pro vitæ conservatione liceat interficere injustum invasorem, id etiam licebit pro conservatione bonorum temporalium, sine quibus vita conservari nequit.

R. N. consequentiam : quia quod vitæ invalorem licet occidere, stabilitur omni lege ac jure, de occidendo autem fure nulla est lex aut legitima legis exceptio à communi Præcepto ; *non occides.*

Obj. 3. Hoc modo datur ansa furibus & raptoribus impunè furandi, cum non timeant periculum vitæ amittendæ.

R. Quia fures sufficienter coercentur pœnis à jure Naturis, non magis datur ansa furibus per hoc, quod sit illicita privata furis occisio, quam adulteris, quos leges Canonicae prohibent privatâ authoritate occidi.

Obj. 4. Vim vi repellere omnes leges & jura permittunt; ergo si res vi ablata aliter recuperari nequeat, licebit raptorem occidere.

R^e. N. consequentiam: quia licet tantum vim vi repellere per media licita & legitima, quale in hoc casu non est occisio furis; *quoniam expedit potius rerum sustinere jacturam*, quam pro conservandis vilibus rebus & transitorius acriter in alios exardescere: ut dicitur cap. suscepimus 10. de homicid. lib. 5. tit. 12. aliud est in vita nostrâ, quæ in justè invaditur, quam nequè recuperare possumus, neque illius habemus dominium; cui proinde cedere non possumus, sicut possumus cedere bonis temporalibus, ut etiam famæ & honori.

Obj. 5. Quamvis non liceat occidere furem pro conservatione rei levioris momenti: quia pro re parva non videtur concessa defensio cum tanto damno proximi, pro re tamen gravioris momenti v.g. Si fur vellet afferre omnia, posset invasor occidi, cum tali casu non invaderet bona temporalia tantum, sed etiam vitam, quæ sine his conservari nequit.

R^e. Distinguendo ass. pro re gravioris momenti, quâ ablata censetur simul esse ablata facultas vitam conservandi Con. si quantacunque res temporalis sola afferatur ut ea non attingat simul altius bonum viræ N. Sustinent quidem non ignobiles Theologi, quorum sententia verè probabilis est, homicidii reum non esse, qui servato moderamine inculpatæ tutelæ interficit rapientem vi illatâ bona temporalia magni momenti, quæ aliter defendi vel recuperari non possunt, attamen, si non simul vita, quæ sine illis bonis conservari non potest, invadatur; opposita sententia probabilior est, ob rationes adductas, eique subscribit Clerus Gallianus damnans hanc propositionem 36. Non solum viam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura &

dam-

damnum gravissimum est licitum est defensione occisi-
vā defendere. Quod si defendatur esse licitum occidere
ad vitandum gravissimum damnum in bonis tempora-
libus Laicis, non apparet ulla ratio, cur cum occi-
sione furtis defendere bona temporalia non liceat Cleri-
cis & Religiosis.

Q. Quænam sit pœna homicidii culpabilis?

R. Præter obligationem restituendi de quâ infrâ &
irregularitatem de quâ in 3. par. punitur homicidium
de jure civili, si ex irâ & vindictâ sit directè commis-
sum, capitam amputationem, si verò per insidias & latro-
cinium, punitur rotâ & crucifragio ex ordinat. crimin.
Caroli V. J. L. 3. §. penult. ff ad L. Cornel. de Sicar.
lib. 48. tit. 8. in quo quidem nobilibus & altioris con-
ditionis hominibus statuitur deportatio & confisca-
tio bonorum, attamen ex usu multis locis recepto
etiam pro qualitate facti injusti homicidii nobiles capite
puniuntur. Si verò homicidium sit indirectè volun-
tarium v.g. explosione Bombardæ in loca insolito aut
dejectione ligni vel lapidis in viam, per quam transeunt
homines absque præviâ cautelâ & admonitione tran-
seuntium, pœna est arbitriaria. Quod si plures ad ho-
micideum injustum directè concurrisse probantur,
omnes puniuntur pœnâ ordinariâ, si verò incertum
maneat, quis vulnus lethale inflixerit, omnes concur-
sentes puniuntur pœnâ arbitriariâ, occidentis seipsum
bona confiscantur, si id fecerit metu pœnæ prome-
ritæ, fueritque alias criminis annexa pœna confisca-
tionis.

De jure Canonico Laicus homicida est excommuni-
candus per Judicem Ecclesiasticum Can. itaque 20.
Caus. XXIV. Q. 3. Clericus verò injustè occidens
ab Ecclesiastico Judice deponendus est, qui si depositus
incorrigibilis fuerit, excommunicari debet; deinde
contumacia crescente anathematis mucrone feriri
id

(id est solemniter excommunicari circumstantibus Episcopum presbyteris candelas tenentibus, quas deinde in terram projiciant ac pedibus conculcent) postmodum vero si in profundum malorum veniens contemperit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat... per secularem comprimentus est potestatem (videlicet degradatus) ita quod ei deputetur exilium vel alia legitima poena inferatur: ita cap. cum non ab homine 10 lib. 2. tit. 1. de jud.

DISPUTATIO XXVII.

De furto.

Furtum est ablato occulta rei alienæ invito Domino.

Dicitur 1. Ablatio sub quâ etiam detentio intelligitur *2. Occulta*: non quod debeat esse occulta modo, quasi absolute deberet latere homines quoscunque à fure distinctos, sed ut lateat eum, cuius est res ablata, item illum, qui pro Domino rem illam custodit. Hæc ratio occulti est ipsum formale, penes quod furtum in ratione injustitiae specie differt à rapina: nam hæc specialem injuriam infert rei Domino, rem ejus violenter auferendo sive sciente & vidente ipso Domino vel saltem sciente & vidente alio, qui pro Domino rem conservat, ita ut ablatio rei v.g. pertinentis ad Joannem sit rapina, si famulo Joannis ad ejus custodiā deputato sciente vidente & reluctante auferatur.

Dicitur 3. Rei alienæ: intellige rem spectantem ad alterius hominis dominium vel quasi, porro ad illius quasi dominium spectant v.g. pignus & hypotheca, nam spectant ad alterum, quatenus sunt alteri pignus & hypotheca, ut propterea censeatur quis furtum committere invito altero furando rem alias suam, sed alteri oppignoratam vel hypothecatam.

Di-